

241

U
L
B



DECANUS *Jac. Thomaf.*
COLLEGII PHILOSOPHICI
IN ACADEMIA LIPSIENSI
Lectiones Professorum
publicas promulgar,



Dum Negotiatores, qui lucri faciendi causâ in hanc urbem è variis terrarum locis advenerant, finitis scilicet nundinis sua convasant, solenne nobis est merces nostras, publicarum Lectionum indiculo proposito, palam proscribere: longè quidem eas majoris æstimandas, quàm quicquid vel ab Indiâ usq; aut Arabiâ preciosi aromatis advehitur; sed ab his ipsis, quibus unice caræ esse debebant, sic contemptas atq; dispretas, ut ne gratis quidem prostantes attingere pleriq; dignentur: tanta est in Auditoriis publicis solitudo! Nimirum adolescentuli nostri, sive domi statim inter vernarum blanditias corrupti, sive ab ineptis pædagogis malè formati, sive scholarum quarundam inferiorum licentiâ & barbarie pessundati, sive his omnibus de causis vitiu trahentes, ubi in Academiis pedem posuerunt, cum præ incitiâ suâ castigatioris sapientiæ cultum capere se vident non posse, ne nihil agant, malè agendo sibi dedecus, aliis molestiam creant. Ac tametsi præclara nos expectatio sustentat, fore brevi, ut bellum cum Academiarum pestibus commissum nuper, & jam bonam partem profligatum, feliciter tandem, præclaris Magistratum cæptis successus prosperos porrò adspirante DEO, conficiatur: supererunt tamen nobis haud dubiè cum reliquiis feralis monstri aliquot annorum conflictus ærumnabiles. Verum adversum hos quoque animo generoso, & philosophicâ patientiâ educare decretum est. Solatium nobis tum alia præbebunt, tum hæc affundet ratio, quod compertum habemus, multis abhinc seculis alios quoq; Magistros optimos similibus à probrosâ pube intemperii infestatos fuisse: ut conqueri certè non possimus, novum quicquam nobis accidere: quanquam nisi nos rerum facies vehementer fallit, ad hunc proterviæ gradum, quem scenæ Academicæ illatum coram intueri coacti sumus, nulla ante nos ætas ausa fuit progredi. Age colligamus quædam memoriæ veteris testimonia. Commemorat *Autor operis de disciplinâ Scholarium* [a] quod perperam præ se fert nomen Boethii, se in Civitate Julii Cæsaris, quæ Parisius dicebatur, multos *discolos* reperisse. Qui verò sint *discoli*, ibidem his verbis declarat: *Non sit autem scolaris discolus. Dicitur enim discolus, quasi à scolâ divisus. Scola enim græcè dicitur, vacatio latinè: inde discolus, quasi vacatione divisus.* *Discolus*

(a) cap. 2.

*lus autem dicitur ille, qui discurre per vicos & plateas, & taber-
 nas, & meretricum cellulas, per publica spectacula, per pompas &
 coreas, & per comessationes, & per publicas cenas. & hoc
 vagis oculis, & effrenâ linguâ, peulanti animo, vultu incomposito. O
 mnibus his scola postponitur. Vel hæc interpretatio convincat, hunc
 librum non esse Bœthii. Græca vox est δύσκολος. Utitur eâ no-
 ster Aristoteles in Ethicis [b], ubi de comitate differens ab hâc vir-
 tute desciscere ait hinc ἀρέσκεις, seu assentatores, illinc δυσκόλους,
 seu δυσέμελους, morosos, inque contendendo pervicaces. Usurpata
 est postea à Latinis, sed non optimæ notæ scriptoribus. Vetus in-
 terpres Epistolæ Petrinæ prioris: *Servi subditi estote in omni timore
 Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis [c].* Videtur
 legisse δυσκόλους, cum tamen in nostris codicibus sit σχολιῶς. A-
 speros certè & intractabiles significare voluit. Et in hunc sensum
 id vocis exauditum est, antequam græcæ linguæ ignorantia plenis
 velis in Latinum Orbem invecata esset. Vocabularium Vincentii
 Bellovacensis [d]: *Dyscolus, difficilis, indisciplinatus, vel immora-
 lis.* Nec malè Joannes Tortelius [e] *toleratus difficilem* inter-
 pretatur, quanquam minùs benè à χολή vel χόλος deducit, &
 idè scribi jubet per literam aspiratam dyscholos: cum ta-
 men originem debeat verbo κόλον, proprièque signet fastidio-
 si stomachi hominem, qui facilè aspernetur cibum propositum.
 Nimirum nondum planè eluctatus erat Tortelius è voragine seculi
 inficeti, quo qui scholæ vocem notissimam haberent, per alium er-
 rorem dyscolum exposuerant hominem scholæ, vel publicæ saltem
 institutionis, fugientem. Vocabularius Gemma Gemmarum in-
 scriptus: *Dyscholos, discors à scholâ, & dicitur, quasi à scholâ divisus,*
 Wincelschüler. Dicas præ oculis illi fuisse locum Pseudo-Boethii
 nostri. Hugo quoq; Carenis, Erasmo [f] teste, *dyscolis* in Epistolâ
 Petrinâ interpretatur *indoctis, ineruditis, qui non sint versati in scholis:*
 & Beda pro confirmando etymo adducit illud è Psalmo [g]: *vacate*
& videte, ubi pro vacate Græcis sit σχολαίασι. Hoc sensu ita publi-
 cè recepto *Dyscolatus* quoq; Apostasiam, & à Scholâ quasi defectio-
 nem significare scriptoribus mediæ ævi cœpit. *Impletis v. si. propheta-
 ricis, & sanctis Regibus ad Patres apposis, in apostasiam & dyscolatum*
ver-*

(b) IV. Nic. 6. (c) I. Pet. 2. vers. 18. Juvencus lib. II. Hist. Evang. Veniet sed dyscolus
 alter. sic P. Blef. Ep. 129. mites & discolos opponit. (d) lib. I. spec. doct. cap. 46.
 (e) de orthograph. f. 74. Nestor. Novariens. à κέλομαι deducit. (f) Annot. in N. T.
 f. 749. conf. Gloss. ordinat. (g) Psal. 45. vers. 11.

versum instabile vulgus in se non retinuit locum, quem posset Spiritus Sanctus inhabitare. verba sunt Auctoris incerti Sermonum de Cardinali Christi Operibus [h], quem Arnoldum Bonæ Vallis in Carnutibus Abbatem, Bernardi Claravallensis æqualem, esse volunt Theophilus Raynaudus [i], & Philippus Labbe [k]: Cypriano certè, sub cuius nomine fucum alias illi sermones fecerunt imperitioribus, si nihil aliud, usurpata hoc sensu vox *discolaris* abjudicaret. Nam ne in Boethii quidem ævum, nedum eruditionem græcè doctissimi scriptoris, quadrant illæ ineptiæ de *discolis* à scholâ divisis, perque vicos & plateas discurrentibus. Ut mirum esse dicerem, quomodo hæc ipsa verba legens Jo. Baptista Pius [l], vir elogio Magii [m] in antiquitatibus exquirendis pernoscendisq; & bonis autoribus illustrandis neustiquam suâ ætate postremus, persuadere sibi potuerit, genuinum esse istum Boëthii fœtum: nisi appareret, maluisse eum suspicionem incurrere naris obesæ, quàm jacturam facere inventi sui de Julio Cæsare Parisinæ urbis conditore, cui unde fidem faceret, præter illam Boethii simiam, & Poëtam Archithrenium, nominare posset neminem [n]. Sed illud de disciplinâ scholarium opus per *κισθηλια* suppositum fuisse disertissimo scriptori, vix quisquam hodiè dubitabit facile: ac sunt in manibus, eâ de re judicia hominum doctissimorum [o]. Verum & γνήσιον ejus libri Auctorem, quando illum in hunc diem ignorari ab eruditis video, semelque placuit evagari, operæ pretium fuerit fortasse hîc indicare. Nam quod à Dionysio Rikelio Carthusiano scriptus is liber fuisse dicitur [p] nihil est, cum mentionem ejus faciat Vincentius Bellovacensis [q] scriptor Dionysium duobus seculis antevertens: neque temerè insimulatum velim Ecstaticum Doctorem crimine falsi, à quo ille Pseudo-Boëthius absolvi non potest, quando studiosè id egit, ut non alius, quàm Boëthius videretur. Causam errori dedit, quod Rikelius eodem titulo, *de disciplinâ Scholarium*, volumen exaravit. Atqui diversum illud esse, verba initialia produnt, quæ apud Trithemium [r] legere est. Ne diu moremur Lectorem, exstat libellus

Auto-

(h) serm. de unct. christi. f. m. 318. (i) Erotem. p. 136. conf. River. lib. II. Crit. fac. c. 15. p. 233. (k) Tom. I. de script. Eccl. p. 108. & 239. (l) c. 63. Annot. Poster. (m) lib. II. Misc. c. 17. (n) vid. Mich. Rit. lib. II. de Reg. Franc. p. 36. (o) Glareani, Jul. Marsiani Rotæ, Murmellii, præf. & proleg. in Boëth. Voss. de Poët. Latin. p. 67. (p) Labbe. Tom. I. de ser. Eccl. p. 206. (q) lib. XXI. spec. hist. cap. 15. (r) Catal. script. Eccl. p. m. 148.

Autoritatum Aristotelis & aliorum Philosophorum Coloniae in Chalcographeo Quenteliano, superioris seculi nono anno impressus, in quo, ubi ad hoc opus Boethii perventum est, disertim hæc admonentur, quæ in aliis autoritatum istarum editionibus, quas quidem inspicere nobis datum fuit, minimè legas: *sequantur Autoritates Thomæ Brabantini ex libro de institutione scholasticâ prætitulato, quem humilitatis & majoris autoritatis causa Boetio ascripsit.* Ac ne dubites hoc ipsum opus signari, illa quoque de dyscholo glossa in autoritatibus istis locum invenit. Hujus ergò Codicis fide illum subdititium partum rescribemus in posterum germano suo parenti *Thomæ Brabantino*, seu, ut aliàs vocatur, *Cantipratano*, quem ante annos admodum quadringentos floruisse constat. Humilitas, an arrogantia fuerit, quòd in alieni nominis celebritatem ille scriptor furtim se induit, hîc non disputo. Id in initio agebam tantum, ut ostenderem, illo quoque ævo, quod ad tantam petulantiam nondum profecerat, Rectoribus Academiæ negotium exhibuisse vacua, obstipa, & plus quàm δύσκολα degenerum scholarium capita. Quod ipsum, si quis forte Cantipratano fidem abroget, sic satis confirmabit suppar illi, vel potius paulò antiquior [r] Nigellus VVireker [r], Cantuariensis Ecclesiæ Præcentor, qui in Epistolâ Speculo stultorum [quod sub Vigelli nomine per hos menses [u] recusum seculi sui mores egregiè repræsentat,] præfixâ sic in fit inter alia [x]: *Asinus, qui Parisiis scholas frequentat, & literas penè discendo & operam perdit & impensam, quia discedens nomen urbis non potuit retinere, in quâ per septennium moram fecit: illos signat, qui cum sensus non habeant exercitatos vel aptos ad literas & apices intelligendos, tamen ut videantur in utroq; testamento eruditi, libros legunt, quos non intelligunt, quorum etiam nomina eis perlectis non meminerunt: cupientes potius, ut ab hominibus multa & magna scire credantur ex assiduâ librorum aspectione, quam ut aliquid sciant in rei veritate.* Se- culi decimi quarti Scholares depingit nobis suis coloribus Ri- chardus de Buri, Episcopus Dunelmensis: *Est enim, inquit, [y] Scholarium gens perperam educata communiter, & nisi majorum regulis*

(3) refre-

(s) Oræus p. 106. Nomencl. ad scribit illi annum 1196. (t) Sic eum vocant Magdeb. cent. XII. c. 10. f. 1678. Baleus cent. 3. c. 50. VVolfius Tom. I. memorab. f. 425. Piff. de illustr. Angl. script. p. 270. (u) VVolfserbyt. A. 1662. Alia editio habetur in Praxi jocandi Regii Goraddivi. Francof. A. 1602. p. 352. sed absque Epistolâ. Excerpt inde, quædam Flac. catal. Test. Ver. f. 539. (x) p. 8. (y) e. 17. Philobibl.

refrenetur, infrunitis inscitiis insolescit. Aguntur petulantia, presumptione tumescunt, de singulis iudicant tanquam certi, cum sint in omnibus inexperti. Videbis fortasse juvenem cervicosum, in studio segniter residentem: & dum hyberno tempore hyemis alget, nasus irriguus frigore comprimente distillat, nec prius se dignatur emunctorio tergere, quam subiectum librum madefecerit turpi rore. Cui utinam loco codicis corium subderetur sutoris. Unguem habet simo foecente refertum, giganti simillimum, quo placentis materia signat locum. Seqvuntur in hunc sensum longè plura: sed quinti decimi seculi nomine se etiam hinc audiri postulat Joannes Gerson Parisiensis Academiae Cancellarius, cuius hæc est querela [2]: Sic adolescentia frena laxantur: sic eunt in adinventionibus suis dimissi secundum desideria cordis eorum, & per vitiorum aviaruunt precipites. Fiunt exinde contumeliosi, vagi, petulantes, inobedientes, proni ad inimicitias inferendas, impatientissimi ad illatas: irreligiosi præterea, nihil amplius à paganis de Christiana religione perdocti. Postremo, ut de quibusdam Judas Apostolus [a] ait, Maculae sunt, vel ut vulgus loquitur, sacci carbonum, alter alter alterum pessimis modis maculantes. Sed & quales aomi sint, foris in sermonibus palam faciunt. Ubi pro summa qua ibi observanda erat, morum modestia, insolentissimis atq; incompossibilibus sibilationibus, gestibus, & obmurmurationibus omnia confundunt & verbum Dei cum suo evangelizante probrose spernunt, impediunt, turbant, & obrumpunt. Nec parvum existimandum est illud incommodum, quoniam satis est scitum illud Aristotelis [b]: Non parum refert juvenem sic vel sic assueferi. Et quia certè ex non bene morigeratis, & ex sinistre instructis adolescentibus fiunt juvenes atque viri postmodum non tantum inutiles republicae universitatibus, sed ipsius etiam totum corpus faciunt lacerantq; & in honorum perniciem crudeliter faciunt: quid sanè mirandum, si ex discipulis discipulis fiunt perniciosi doctores? Hæc eadem nostri quoque seculi calamitas fuit hætenus, utinam in lætorem vultum propediem immutanda! Licebit interim sperare, neque fas erit aliquid de diligentia nostrâ & officii partibus remittere. Sint maxima discentium pars nodosi stipites, & trunci, unde Mercurium sculperet ne Phidias quidem possit: juvabit tamen vel paucis, qui bene præparatum pectus ad hæc studia adferunt, cum fructu audientibus publicæ doctrinæ semina spargere. Quod ergo DEUS benè fortunet!

MANE

(2) Epist. ad Studentes Collegii Navarrae Tom. I. oper. XVIII. 2. (a) Epist. vers. 12. $\alpha\pi\lambda\alpha\delta\epsilon\varsigma$. Interpres videtur legisse $\alpha\pi\lambda\alpha\delta\iota$, ut II. Petr. 2. v. 13. vid. Pricæu in h. l. f. 995. (b) II. Nicom. 1. in fine.

M A N E

Horâ VI. JOHANNES ITTIGIUS, *Phil. & Med. D. Physices P. P. A. ademiæq; h. r. Rector, Naturalis Scientiæ præcepta novissimis Lectionibus à se absoluta, denuo per novam Epitomen inculcare incipiet, initium facturus à Libris Acroaseon, quantumq; per occupationes publicas, & Scholastica Juventutis modestiam licebit, in iis perspicue interpretandis perget.*

Horâ VIII. L. GOTFRIDUS SLUTERUS, *Organi Aristotelici Prof. P. ad finem jam perductis libris duobus posteriorum Analyticorum, exorsurus est libros octo Topicorum, eosq; consuetâ suâ methodo per aphorismos & theses breviter explanabit.*

Horâ IX. M. JOHANN KÜHN / *Prof. Mathem. continuabit & absolvet doctrinam Opticam, rediturus postmodum ad Elementa Euclidea, ubi quartum, ordine jubente, exponet, quod est de circum- & inscriptione figurarum figuris, & usum hujus sortis in dimetiendis ac permutandis illis ostendet.*

Horâ XI. FRID. RAPPOLT, *Poës. Prof. Publ. Enarrationem Epistolarum Horatii continuabit, & in singulis non humaniorum tantum literarum & Antiquitatis, sed Philosophiæ quoque Studiosos proficere posse ad bonam frugem, manifestum faciet. Aliud in illis alibi querant pueri aliud maturiore adolescentis judicio hic admirentur.*

A M E R I D I E

Horâ I. M. JAC. THOMASIIUS, *Oratoriæ Prof. Publ. & Collegii Philosophici h. r. Decanus, antiqui Rhetoris P. Rutilii Lupi de Figuris sententiarum & elocutionis libros duos enarrabit, textum nec à B. Rhennano, nec à F. Pithæo satis emendatè vulgatum constituet, notas & observationes addet.*

Hora II. L. DAVID SCHWERTNER / *Philosophiæ Practicæ Prof. Publ. absolutis Ethicorum quatuor Libris, reliquos sub explicationis incudem revocabit, initio facto à V. Libro de Iustitiâ: cumque Auditores plerique destituantur ipso Aristotele, in gratiam eorum Breviarium Aristotelicum ab Excell. Dn. Thomasio editum ita explicabit, ut singulis horis duo ad minimum capita quoad thesin & anthithesin det absoluta.*

Horâ III. M. JOHANN. HORN SCHUCH / *Gr. L. Prof. si DOMINUS voluerit, non solum ceptam SCAPULAE thematum lustrationem continuabit, sed scitum etiam HOMERICAE Iliadis B. somnium, concionem atque naues referens, enodabit.*

Horâ

crâ ead. CHRISTIAN FRIDERICUS FRANCKENSTEIN, L. L.
& Histor. P. P. ubi Dei beneficio valetudinem firmam recuperaverit, ad
explicationem Taciti de moribus Germanorum revertetur, quam per seme-
stre hoc inevitabiles, quas Rectoratus Academicus secum fert, occupationes
suspendent. Nec deerit iis, qui privatim in Historicis, Geographicis, &
aliis exercitiis operâ ejus uti volent.

Horâ IV. M. JOH. SIGISMUNDUS Schwend / Dialecticæ Philip-
pi & Methaphysicæ P. P. aggredietur in Lectionibus diei Luna & Martis
Logicis utilissimas, quæ restant, doctrinas de Demonstratione, Syllogismo
Topico & Sophistico; in Lectionibus diei Iovis & Veneris Metaphysicis
tres superstites Entis affectiones breviter perstringet, transitum dehinc re-
ctâ facturum ad partem specialem de Substantiâ & Accidente. Sperat, an-
te ferias Caniculares se, benedicente Deo, aut absoluturum esse pensum
utrumque, aut non multum à fine abfuturum.

P. P. Dominicâ Rogationum 4. Maji, A. C. M. DC, LXII.

Typis JOHANNIS WITTIGAR,


DD A 6358

ULB Halle 3
002 920 387



Sb.

Reho ✓ 1077



Fragment of text on the spine, including a prominent red initial 'P' and several lines of black Gothic script.





62

...
...
NUS *Jac. Thomaf.*
LOSOPHICI
LIPSIENSI
offessorum
ulgat,

